# SOLEMNIA ANNIVERSARIA

IN

# GYMNASIO REGIO ONOLDINO


A. D. VI. IDUS AUG. HUIUS ANNI MDCCCLVII.

**RITE CELEBRANDA**

INDICIT

JOAN. LUDOV. FRIEDR. KRAUSS,

MAGISTER STUDIORUM REGIUS.



Praemittitur commentatio de Conjunctivo Rhetorico s. Pathetico.

1857.

DESCRIPSIT CAROLUS BRUEGELIUS ONOLDINUS.

# De Conjunctivo Rhetorico s. Pathetico.

Multis abhinc annis quum ea quae a rerum grammaticarum investigatoribus de Conjunctivo Perfecti temporis apto ex Praeterito tradita et praecepta sunt, mihi non probarentur ob eamque rem eundem Modum in quaestionem vocare constituissem: diu ac multum (licet me rideas, ingeniose lector, ut minutiarum studiosum ac tenuis animi parumque sublimis), ut illius vim et usum deprenderem, in legendis auctoribus quasi venator quidam strenuus intentusque praedae in statione mansi. Et quum nemo facile scrutetur, nisi ubi aliquod vestigium viderit, ego Liviano loco [1]) monitus praeceperam quod postea verum apparuit. Sic ferarum, id est locorum opperiens si quos exciperem ex agmine idoneos, quibus ea quae mente concepissem, comprobarentur efficerenturque rata robustaque, densam paullatim locorum silvam comparaveram et clausam servabam. Deinde ante hos aliquot annos quid rei invenissem teneremque et quam de illius Status natura et usu conjecturam fecissem, cum quodam ex amicis communicavi: qui, causa praejudicata secundum me, in lectione scriptorum diligentem sese et acrem locorum, qui quidem cum mea opinione pugnarent, animadversorem fore amice promisit. Hinc animo erecto superiore anno omnia formata literis mandavi et quem conscripseram commentariolum, solemnibus anniversariis exeunte anno scholastico indicendis statueram: cujus tum quidem voluntatis meae ratio haberi non potuit, propterea quod illud munus non amplius vacabat. Quem quum possem commentarium in Eruditorum Acta referendum offerre, omisi ac seponendum in aliud tempus statui. Tum initio hujus anni quod priore munus a Rectore petiveram, id ultro mihi demandatum et prompto gratoque, ut debui, animo a me receptum est. Et jam occupatus in iis quae vel obscuriora esse vel parum commode viderentur descripta, dilucidandis retractandisque impigre agebam, quum is, quem supra dixi, amicus idemque collega literulas misit, quibus Nauckium V. Cl. in editione Cornelii Nepotis ad Milt. V., 2. eandem, quam me, de Conjunctivo illo sententiam habere atque iisdem verbis explicare nunciavit. Ea re laetus et animo confirmatus, quod ejus, qui doctrinae laude floreret, possem auctoritate niti, has plagulas confeci, quibus illam subjungendi rationem nec unius cujusdam ex scriptoribus nec plurium esse propriam, sed ad posteriora usque Latinitatis tempora permansisse atque ante Romanos jam Graecis certos quosdam Modos cum particula ὥστε junctos fuisse probarem. Haec quidem quasi agendae rei praefanda mihi esse putavi, ne vel Nauckius vel alius quis plagiarium conclamaret, neve ego, quae laus ad alterum pertineret, eam mihi nullo pudore assumere viderer.

Jam ut omnia quae a causa sunt sejuncta, omittam, ad id ipsum quod mihi proposui, accedam et de illo Conjunctivo quaeram: cujus rei intelligentiam fore accuratiorem existimo,

[1]) Liv. XXII., 5.

quum de ejusdem Temporis Indicativo disseruero; quod nisi faciam, vereor, ne tu suam Conjunctivo notionem inculcari arbitrio potius et libidine, quam ratione et lege haustam arbitreris. Sic igitur statuo: Tria esse Pefecti temporis genera, quorum unum, cui Grammatici nomen Historico dederunt, rem aut gestam aut ut gestam narrat, factis facta narrando continuans. Cujus generis sexcenta sunt exempla nec opus plura proferre, unum pro multis erit.

*Caesar loquendi finem fecit seque ad suos recepit suisque imperavit, ne quod omnino telum in hostes rejicerent.* [1]) Nihil aliud nisi indicant illa Perfecta *fecit recepit imperavit* rerum progressum, nulla practerea ullius rei habita ratione, nisi ut, quid factum sit, narrent. Alterum genus iis rebus continetur, quae, quamquam exactae sunt, ita tamen sunt comparatae, ut vis earum remaneat et ipsae quasi memoriam sui repraesentent. Vocant id nonnulli *Praesens praeteritum*, alii *Perfectum absolutum*, Kruegerus [2]) ei nomen *logico* imposuit: rectius nominaveris ex praestantiore causa *Perfectum demonstrativum*, [3]) quo qui utuntur, vel locorum situm, vel rerum naturam et rationem, vel animi affectiones sensaque, vel vitas moresque hominum et populorum vel agendi modum non produnt memoriae narrando, sed quasi tabulas pingentes ad vivum exprimunt. Ejus generis hujusmodi exempla sunt.

*Gallia est omnis divisa in partes tres;* haec verba idem valent quod *constat ex partibus tribus:* continuantur ad Galliae descriptionem Tempora Praesentia.

*Suevi in eam se consuetudinem adduxerunt, ut locis frigidissimis neque vestitus praeter pelles habeant quidquam et laventur in fluminibus.* [4]) Illud Perfectum est pro Praesente *utuntur ea consuetudine.*

*Hac divisione, quum praeterire aliquid maximum vitium in dividendo sit, duo praetermissa sunt.* [5]) Perfectum Praesentis vim habet: *desiderantur duo.*

Differre haec a superioris generis exemplo perspicuum est; illo enim loco properatur res deinceps narrando ad id, propter quod factae sunt nec locum reperit oratio consistendi, nisi ubi quod ingressa esset, ad extremum sit exsequuta. Posteriora exempla regionis cujusdam imitantur imaginem oculis nostris subjectae, in quam nos quasi in arce positi late prospectamus cogitandoque singula quaeque lustramus. Quietum est igitur hoc et temperatum genus: de quo me plura disputare nullo dissentiente non attinet.

Tertium autem genus concitatum et vehemens est et turbidis animi motibus aptum. Omnis ejus vis cernitur vel in animi impetu prodendo ostentandove, vel in permovendis animis impellendisque ad agendum, velut:

*Abiit, excessit, evasit, erupit.* [6])
*Actum jam de isto est.* [7])
*Fuimus Troes, fuit Ilium!*

*Ejectum litore, egentem Excepi et regni demens in parte locavi, Amissam classem, socios a morte reduxi:* [8]) voces Didus malam, ut videbatur, pro beneficiis gratiam capientis et cum gravitate vituperantis. Eadem rogo conscenso jamjam moritura clamat:

*Vixi et quem dederat cursum fortuna, peregi.* [9])

---

[1]) B. G. I. 46. [2]) Grammat. II. §. 444. [3]) Vocabulum *demonstrativum* commode potest verti *beschreibend*; nam dicimus tum *viam demonstrare* Liv. XXIII., 33.; tum *modum et formam navium demonstrare.* Caes. B. G. V. 1; tum *hominem conmonstrarier mihi istum volo aut ubi habitet demonstrarier.* Terent. Phorm. II. 1, 75; tum demonstrabo iter: Aurelia via profectus est (Catilina), si accelerare volent, ad vesperam consequentur. Cic. Catil. II., 4. §. 6; denique *demonstrativum orationis genus est, quod tribuitur in alicujus certae personae laudem aut vituperationem.* Cic. Inv. I., 5. [4]) Caes. B. G. IV., 1. [5]) Cic. Off. I., 3. [6]) Cic. Cat. II., 1. [7]) Cic. Att. XII., 15. [8]) Vergil. Aen. III., 373 sqq. [9]) Vergil. Aen. III., 653.

*Eatur quo Deorum ostenta et inimicorum iniquitas vocat, jacta alea est!*[1]

*At hi quidem* (lacerti) *mortui jam sunt!*[2] Vox miserabilis Milonis Crotoniatae. Ejusdem generis haec sunt Perfecta, quibus usus Curio id agit, ut animos militum, quum vel pavidi vel dubiae fidei esse coepissent, confirmaret et in fide retineret:

*An vero in Hispania res gestas Caesaris non audistis? duos pulsos exercitus? duos superatos duces? duas receptas provincias? Vosne vero L. Domitium, an vos L. Domitius deseruit? Nonne extremam pati fortunam paratos projecit ille? non sibi clam vobis salutem fuga petivit? non proditi per illum Caesaris beneficio estis conservati?*[3] Qua oratione *permotos* milites fuisse ipse testatur Caesar cap. seq. Magnum esse inter hoc genus et duo illa superiora discrimen, nemo non, opinor, intelliget. Ego quidem non video, quid causae fuisse velis, ut Curio milites quae audisse sciret, certiores faceret. An tu vero quieto illo genere orationis res voluisse sic exponere Curionem putas, quasi tum maxime agerentur? Imo pertractare voluit militum dux animos, perstringere, percire. Adde huc ea, quibus ex inopinato ingruentibus animus afficitur aliquo modo et commovetur, velut:

*Jam hoc facere noctu apparabant, quum matres familiae repente in publicum procurrerunt flentesque omnibus precibus petierunt, ne se et communes liberos hostibus ad supplicium darent.*[4]

*Jam ver appetebat, quum Hannibal ex hibernis movit.*[5] Non simpliciter dicta haec sunt, verum animos praeparat Livius ad magnas res audiendas significatque, cooriri jam quasi tempestatem illam saevam, quae cum calamitatibus caedibusque in Italiam dejiciatur. Similia habes in eo qui sequitur loco, quem et ipsa rerum gravium et calamitosarum narratio excipit:

*Haec et his similia laeti audiere juvenes, ingrata senioribus erant: quum Clitus ne ipse quidem satis sobrius, ad eos, qui infra ipsum cubabant, conversus Euripidis retulit carmen.*[6]

*Transactum putabant Herbitenses, quum iste: quid de hordeo, inquit, et Docimo amiculo meo, quid cogitatis?*[7]

Quod quidem genus facile agnoveris; accommodatur ad eas sententias, quae gravi quadam ac vehementi pronunciatione distinguuntur vocesque et verba earum premuntur. Eam virtutem quum rhetores oratoris propriam esse doceant, Rhetoricum s. Patheticum hoc Perfectum nominaverim.

Atque his quidem locis, quorum triplicem numerum posui esse, explicatis, patefacta est et expedita jam via ad subjunctam orationis partem, in qua quidquid perpetuitate superat et manet, Imperfecto Tempore, et ubi Conjunctivus opus, eo Statu enunciatur. Nam Imperfecto medii temporis moram inesse quis est qui ignoret? Permanent autem tenentque causae rerum et eventa, e quibus et ipsis rerum initia nascuntur; maturat res narrator properatque ab aliis ad alias. Ad hoc tum quae antecedunt principalem, quam vocant, actionem, tum quae subsequuntur, ita subsistunt et obtinent, ut affectione quadam sint ipsi juncta. Cohaerent enim illi actioni aliquo modo, quae sive antecessiones sive consequutiones enunciantur. Non potest igitur non necti Historico Perfecto Imperfecti Conjunctivus, qui quidem quasi praenuncia sui particula aliqua utatur, quia res ibi enunciatae habeant necesse est id, et ex quo proficiscantur et quod ipsas consequatur, id est causam et eventum, quae verbis expressa, principatum, ut Grammatici dicunt, Praeterito tenente, vindicant sibi Imperfectum. Exempla ubivis tibi volant obvia:

---

1) Suet. Caes. 32. 2) Cic. Cat. M. 9. §. 27. 3) Caes. B. C. II., 32. 4) Caes. B. G. VII., 26. 5) Liv. XXII., 1. 6) Curt. VIII. 1., 4. 7) Cic. Verr. II., 3. 34. §. 79.

*Themistocles, quum in praesentia rex abesset, quo majore religione se receptum tueretur, filiam ejus parvulam arripuit.*[1])

Aberat rex, quum Themistocles advenit; ille status rei excepit advenientem, ille aliquamdiu permansit, illo effectum est, ut, quod optimum factu tum maxime duxerat, faceret. Et id unum sequebatur profugus agebatque, ut quam posset maxime sese tueretur. Illa igitur duo, et absentia regis et tuendi consilium, affectione quadam juncta sunt cum inita ratione, quam superant perpetuitate. Et absentia quidem regis causa est arreptae filiae, exspectatus eventus perfugium et salutis praesidium.

*Caesar priusquam quidquam conaretur, Divitiacum ad se vocari jussit.*[2])

Clementia uti Caesar in Divitiacum volebat: tali animo erat et ante et post illius adventum et ipso adventu: ita nisi affectus fuisset, incolumis Divitiacus non erat. Igitur natura ipsa rei gerendae tulit, ut, quo tempore Divitiacum vocavit Caesar, haec voluntas teneret, quae fuit causa vocandi; et orationis sententia immota manet, si interpreteris: *Caesar quum ante conari nollet quidquam etc.*

*Ipse interim in colle medio triplicem aciem instruxit legionum quattuor veteranarum, ita uti supra se in summo jugo duas legiones et omnia auxilia collocaret.*[3])

Praeteriit instruendi actio ejusque partes, eventus effectusque mansit, instructa acies, quae mox aliarum rerum fieret causa. Haec de Imperfecti Coniunctivo, quem et ratio et usus Perfecto Historico aptavit.

Venio nunc ad *demonstrativi* generis Perfectum, cujus Conjunctivus, Indicativo conjugatus, eadem, qua ille, vi ac notione praeditus est. Enunciatur autem per Indicativum, ut supra dictum est, res praeterita et eadem instans; nihil ergo aliud per Conjunctivum. Quamobrem quod in praecipua enunciatione praevalet Perfectum vel antegressum est, suum in nexa sibi aptat Conjunctivum. Quae res perspicua nec dubia cuiquam multa non eget disputatione, et quamvis pauca exempla afferam, tamen vereor ne sint, quibus noctuas Athenas mittere videar.

*Si omnia philosophiae praecepta referuntur ad vitam, arbitramur nos et publicis et privatis in rebus ea praestitisse, quae ratio et doctrina praescripserit.*[4])

Nemo non videt, Perfecta *praestitisse praescripserit* Praesentium naturam habere, ita ut qui hunc locum interpretur, sic convertat: *Arbitramur opera nostra exstare, quae rationis et doctrinae praeceptis conveniant.* Verum quo magis quid Perfectum differat ab Imperfecto emergat, conferantur haec:

*Non igitur obnunciatio Ateii causam finxit calamitatis, sed signo objecto monuit Crassum, quid eventurum esset. Ita aut obnunciatio nihil valuit, aut, si ut Appius judicat, valuit, id valuit, ut peccatum haereat non in eo, qui monuerit, sed in eo, qui non obtemperarit.*[5])

In priore sententia verba *finxit monuit* quin Historici generis sint, quis dubitet? Unde nexum est Imperfectum *eventurum esset:* quam formam si alio verbo, velut *immineret*, commutaris, planius intellexeris; praedixit enim Ateius quid immineret in tempestatis modum calamitates cladesque minantis. Nam quae eventura sunt, dum caveris, imminent. Quid multa? Breviter his Crasso narratur augurem praecepisse, ut eventura sive imminentia perpetuo ob oculos haberet. Jam ad sequentia animum adverte, quibus Q. Ciceronem id secutum esse perspicies, ut quod de universa causa judicaret, id ratum in omne tempus haberetur: quapropter ad

---

[1]) Corn. Nep. Themist. VIII. §. 4. [2]) Caes. B. G. I. 19. [3]) Caes. B. G. I., 24. [4]) Cic. N. D. I., 3. extr.
[5]) Cic. d. Div. I., 16. §. 30.

sententiam oratione persequendam *quieto* Perfecti generi in libera enunciatione adhibito nexum est actionis instantis tempus, subsequente tempore instante actionis praeteritae.

*Nunc quoniam, quibus rebus adductus ad causam accesserim, demonstravi, dicendum necessario est de contentione nostra, ut in constituendo accusatore, quid sequi possitis, habeatis.* [1])

In Praesentia potes convertere Perfecta: quoniam quibus rebus addutus *patronus adsim*, *liquet* etc. ex quibus item Praesentia ut apta sint, consentaneum est.

*Natura ab his (Peripateticis) sic investigata est, ut nulla pars coelo, mari, terra (ut poetice loquar) praetermissa sit.* [2]) Haec commode sic interpreteris: Naturae investigatio (quod est in promptu) ea est, ut nulla pars careat eorum curis. Jam examina locum proximum, quem adnumerabis in Historico genere:

*Ab Aristotele principe de singulis rebus in utramque partem dicendi exercitatio est instituta, ut non contra omnia semper diceret.* [3]) Alia ratio est sequentium:

*An oblitus es, quid initio dixerim?* [4]) *Oblitus es* non differt ab his: *non jam memoria tenes.*

*Jam hic Timarchides quantam pecuniam fecerit, plane adhuc cognoscere non potuistis (idem quod adhuc ignoratis): veruntamen priore actione, quam varie, quam improbe praedatus esset, multorum ex testimoniis cognovistis.* [5])

*Videte, judices, quantum dolorem animis inusserint istius injuriae, quum Centuripinorum civitas, quae tantis officiis cum populo R. conjuncta est, ut non solum remp. nostram, sed etiam in quovis homine privato nomen ipsum Romanorum semper dilexerit, ea judicarit, C. Verris statuas esse in urbe sua non oportere.* [6]) Non mutatur enunciationis sententia, si substitueris: quae tantis officiis *socia populi R. est.* Quam ob Perfecti notionem etiam Praesens nectitur:

*Quae res effecit, ne necesse sit, iisdem de rebus semper quasi dictata decantare.* [7]) Num distare quidquam putas, si his verbis utaris: *Cujus rei effectus hic est?* Utile erit, conferri locum sequentem:

*Quibus rebus effectum est, ut infinitia pecuniae cupiditas esset.* [8]) Historici generis est *effectum est;* nam referendum ad M. Crassi avaritiam, quae illis verbis castigatur.

*Sic est hic ordo quasi propositus atque editus in altum, ut ab omnibus ventis invidiae circumflari posse videatur.* [9]) Dissimilem locum hunc reperies:

*Atque hoc in beneficii loco petitum est ab Apronio, ut in jugera singula ternis decidere liceret.* [10])

*Nunc iis locis posita sunt (signa), ut mihi semper Scipionis fore videantur itaque dicantur.* [11])

*Intellectum est, quid intersit inter levitatem concionatorum et animum vere popularem, saluti populi consulentem.* [12])

*Eo loco locati sumus, ut nos longe prospicere oporteat futuros casus reipublicae.* [13])

*Hic igitur (animus) si est excultus et si ejus acies ita curata est, ut ne caecetur erroribus, fit perfecta mens.* [14]) Non pugnat cum praecepto meo qui nunc sequitur locus:

---

[1]) Cic. in Caec. Div. 3. [2]) Cic. Fin. V., 4. §. 9. [3]) Cic. eod. §. 10. [4]) Cic. N. D. II., 1. [5]) Cic. Ver. II., 2. 53. §. 133 extr. [6]) Cic. Verr. II., 2, 68. §. 163. [7]) Cic. Fin. IV., 4. §. 10. [8]) Cic. Off. I., 8. [9]) Cic. Verr. II., 3., 41. §. 97 extr. [10]) Cic. Verr. II., 3. 48. §. 114. [11]) Cic. Verr. II., 2., 35. §. 87 extr. [12]) Cic. Cat. IV., 5. §. 9. [13]) Cic. Lael. 12. §. 40. [14]) Cic. Tusc. V., 13. §. 39.

*Quod exspectavi, jam sum assecutus, ut vos omnes factam esse aperte conjurationem contra rempublicam videretis.*[1]) Nam consecutio apta est a Verbo *exspectavi,* quod est Historici generis.

Haec de demonstrativo genere. Nunc restat, ut de tertio, quod ego statui, Conjunctivi Perfectae actionis genere disseram, cujus Conjunctivi, sicut prioris, vis potestasque ab Indicativo suo quasi fonte oritur. Quum omnes Grammatici, tum Zumptius, Grammaticorum facile princeps, hujus loci naturam in eo genere, quod demonstrativum nominavi, docet esse positam dicens: In Conjunctivo Pefecti temporis Statu non inesse illam, quam in Indicativo, ambiguitatem et ancipitem potestatem, sed perfectae actionis cum instantiae tempore rationem: quod item in Germanico sermone usuvenire. Ad quam sententiam comprobandam hoc finxit exemplum: *Puer de tecto decidit, ut crus fregerit:* quod sic explicat, ut confectam rem eandemque praesentem enunciari velit. Mox idem ita disputat, quasi Conjunctivus rerum narrandarum progressui inserviat et Indicativi vice fungatur. Sic id ipsum, quod proposuerat, anceps et ambiguum reddidit. Nam qui fieri potest, ut ex ambiguis ac diversis una efficiatur et per omnes partes sibi consentiens veritas? quae collata et accommodata ad vitae rationem usumque lex vel decretum vel praeceptum vocatur: quorum ad normam ut studia et arbitria et actiones dirigas, breviter illa quidem astringantur et definite distincteque dicantur necesse est. Discentium vero quisnam sese jam profecto quid sequatur ipse habere affirmet? An diffidis, quae ego disputem, recte se habere? At dic, quaeso, illam legem ad quae et qualia vis pertinere? Sed ne tua patientia plus aequo abutar monendo multa et interrogando ante ipsam rem, hunc tandem tertii generis Conjunctivum aggrediar ac naturam et usum ejus ostendam. Ac primum quidem videtur esse praemittendum, ipsi locum esse in ea verborum continuatione, in cujus praecipua parte, Praeterito tempore dominante, res gesta narratur. Ad id acriter velim quisque intendat animum, ne hujus et prioris generis promiscuum usum esse et a me quod unum sit, in duas partes divelli ac discerpi existimet. Deinde scito, quod caput rei est, hunc Conjunctivum gravis momenti et rerum novitatis quendam indicem esse sive verae et solidae sive fictae simulataeque, significari ergo id, quod factum esse mireris vel alios mirari velis. Et quo planius quid sentiam intelligatur, Germanico sermone duo exempla effingam, quorum quam diversa inter se ratio sit, extemplo elucebit:

*Die Kälte war so gross, dass Jeder gern zu Hause blieb;*

*Die Kälte war so gross, dass selbst die Vögel in der Luft — todt zur Erde fielen.*

Num tu prorsus nihil putas inter eas consequutiones discriminis esse, vel hoc tantum differre, quod ante alterius extrema verba ducta linea sit, ante prioris non sit? Imo illa conspecta lineola legentium animi in summam exspectationem adduci solent; et qui in scribendo utitur, moneri vult animos magna sequi aut repentina; et qui in dicendo incitatiori verborum cursui moderatur vel paulum insistit orationem, ut extrema, prout res postulat, aut emineant pronunciatione aut recedant: quid tandem consilii illum quidem habere putas, nisi ut vel exspectatione auditores erigat vel in animis eorum motus excitet ad causam utiles et convenientes? His praemisis in illa priore sententia nihil esse causae videbimus, cur ob frigorum asperitatem non exisse domo quemquam miremur; est enim secundum naturam hominis, saeva hieme domi malle se continere ac delitescere; age novem ducas lineolas, animi incitationem, verborum impetum fingas: neminem ad stuporem traduces, imo risum etiam dabis. Nam nequis

---

[1]) Cic. Catil. II., 4. §. 6.

quidquam in quo nihil sit mirum, transformare in miraculum. Quodsi sunt rerum naturalium discrimina et in animis humanis vicissitudines affectionum: quid est, quod omnia coaequanda esse existimes et eam, quae rerum affectionumque nota et imago quaedam est, ad illas esse neges accommodandam orationem? Itaque quae supra Germanicis verbis notavi, sic verto:

*Tanta vis frigorum fuit, ut domo se quisque continere mallet.*

Diversum ab hoc illud est, quo necopinata et quae mirabilia videantur esse explicantur:

*Tanta vis frigorum fuit, ut aves etiam per aerem volantes deciderint in terram exstinctae.*

Ejusmodi Conjunctivo nomen Rhetorico s. Pathetico impono, quia, qui eo utitur, oratoria vi dicendi id agit, ut animos tangat et permoveat concitetque ac pro causae ratione res aut amplificet aut attenuet. Argumentum autem ejus et quasi materia, quam tractat, res est vel inaudita inusitataque et mirabilis, vel ridicula vel quae praeter spem exspectationemque acciderit, vel cui actor et auctor ejusmodi speciem conciliet, quam denique illi pronunciando distinguant aliquo modo nec quasi percurrentes enarrent, sed ad quam ipsi cogitabundi intimisque sensibus affecti paullisper subsistant in dicendo et sensim audientium legentiumve animis arrepant suosque infundant sensus et ad suam voluntatem perductos totos suarum partium facere conentur. His ac talibus visis et auditis Angli, quum Roscius in scena est, mirantes vel cachinnantes suum *audite*, *audite* clamitant; Germani: *qui potest! quis crederet! quis exspectaverat!* alia id genus. Quas voces non ita te intelligere velim, quasi necessario esse adjiciendas doceam, sed, ubi animus te, ut talia clames, impellat, tum recte et eleganter et non male latine te scito usurum Modo Rhetorico s. Pathetico: cui in libris nostri homines vel praescribere lineolam transversam, vel signum, quod vocant, conclamandi postscribere consueverunt.

Jam satis haec tanquam magister persequutus sum; nunc tuo jure a me quae disseruerim, exemplis ut probem flagitas; ac suppeditabo exempla nec ea pauca nec unius aetatis vel scriptoris, sed crebra et a multis auctoribus aetatibusque repetita, quorum frequens quasi consensus dignitasque, ut spero, efficiet, ut, si non omnium, at plurimorum certe cum assensu legantur. Princeps is vocetur locus, cujus opportunitate ac beneficio mihi contigit, ut hujus Conjunctivi vim et naturam assequerer.

*Tantus fuit ardor armorum, adeo intentus pugnae animus, ut eum motum terrae, qui multarum urbium Italiae magnas partes prostravit avertitque cursu rapidos amnes, mare fluminibus invexit, montes lapsu ingenti proruit, nemo pugnantium senserit.*[1])

Haec res, dic quaeso, candide lector, nonne idonea est, quae propter se ipsa tibi etiam non monito de Rhetorico Conjunctivo gravissima videatur et stuporem injiciat. Id si concesseris, jam approbaveris modum sermonis rebus ejusmodi enunciandis alium esse adhibendum atque usitatis et nullius momenti; aliter nullam utriusque distinctionem videbis esse. Noli occurrere, gestu id effici et motu corporis. Imo tum in orando tum in scribendo et verborum structura et consequutio congruat animi sensis oportet. At vero, forsitan quaesierit quispiam, quae sententia exspectanda erat, ut ex antecessionis natura rite manaret consequutio neve res novitatis speciem prae se ferret? Hoc inquam vel tale aliquid: Tantus fuit ardor armorum, ut neutri neutris parcerent. Nam loquuntur bellorum annales ac monumenta, crebro accidisse, ut hostes alteri ab alteris belli iram non abstinerent; milites, diuturnis laboribus et mutuo ictu et interitu propter se suorum et metu ne praevenirentur in furorem acti, ingenti omnia caede solent

---

[1]) Liv. XXII., 5.

replere. Illud mirari, illud stupere puerile est, non eorum qui immania et efferata irarum ardoribus norint ingenia. Quamobrem Livius ut pugnae atrocitatem omnium opinione majorem declararet, non delegit qualia in proeliis, quum res ad manum ventum est, non raro accidunt, sed adventitio quodam usus est, in quo, quum positum in natura proeliorum non esset, significatio maximi duabus gentibus innati odii atque atrocis et internecini belli esset portentum.

Cognosce nunc eandem eodem Modo rem praedicatam a Cicerone:

*Magnum illud etiam, quod addidit Coelius, eo ipso tempore, quum hoc calamitosum fieret proelium, tantos terrae motus in Liguribus, Gallia compluribusque insulis totaque in Italia factos esse, ut multa oppida corruerint, multis locis labes factae sint, terraeque desederint fluminaque in contrarias partes fluxerint atque in amnes mare influxerit.*[1])

Sed fortasse dixeris, rite locum obtinere Perfectum quippe aptum ex Praesente in primaria enunciationis parte dominante. — At memento, quaeso, Romanos Praesenti quoque Imperfectum subjungere; hoc vero loco Perfecta sunt nexa Perfecto *factos esse.*

*Quanto illud flagitiosius, improbius, indignius, eum, a quo pecuniam ob absolvendum acceperis, condemnare, ut ne praedonum quidem praetor in fide retinenda consuetudinem conservaret?* [2])

*Sin autem quis requirit, quae causa nos impulerit, ut haec tam sero literis mandaremus, nihil est, quod expedire tam facile possimus.* [3])

Redeo ad Perfectum:

*Tanta ejus (L. Aemilii Paulli, qui Persen vicerat) abstinentia fuit, ut, cum ex Hispania et ex Macedonia immensas opes retulisset, vix ex auctione ejus redactum sit, unde uxori ejus dos solveretur.* [4]) Cui loco confer sequentem Ciceronis:

*Omni Macedonum gaza, quae fuit maxima, potitus est Paullus, tantum in aerarium pecuniae invexit, ut unius imperatoris praeda finem attulerit tributorum; at hic nihil domum suam praeter memoriam nominis sempiternam detulit.* [5])

Singularem rem esse concedes et memorabilem dignamque quae aliis proponatur ad imitandum. Nam quotusquisque Ciceronis et Livii temporibus fuerit, qui in re simili similem exhiberet integritatem et abstinentiam? — Proximis locis Cicero Murenae integritatem vitae sanctitatemque et virtutem in lucem vocat et exornat et addit pondus.

*Atque harum trium partium prima illa, quae gravissima esse debebat, ita fuit infirma et levis, ut illos lex magis accusatoria, quam vere maledicendi facultas de vita L. Murenae dicere aliquid coegerit.* [6])

*Asiam istam refertam et eandem delicatam sic obiit, ut in ea neque avaritiae neque luxuriae vestigium reliquerit; maximo in bello sic est versatus, ut hic multas res sine imperatore gesserit, nullam sine hoc imperator.* [7])

*Quod enim tempus fuit aut nostra aut patrum nostrorum memoria, quo haec, sive ambitio est sive liberalitas, non fuerit, ut locus et in circo et in foro daretur amicis et tribulibus?* [8])

*Expulsus regno tandem aliquando (Mithridates) tantum tamen consilio atque auctoritate valuit, ut se, rege Armeniorum adjuncto, novis opibus copiisque renovarit.* [9])

---

[1]) Cic. Div. I., 35. §. 78. [2]) Cic. Verr. II., 2. 32. §. 78. [3]) Cic. N. D. I. 4. pr. [4]) Liv. Epit. 46. [5]) Cic. Off. II., 22. [6]) Cic. Mur. 5. §. 11. [7]) Eod. 8. §. 20. [8]) Eod. 34. §. 72. [9]) Eod. 15. §. 33 extr.

*Atque eo facto (nece adolescentis cujusdam atque ejusdem familiaris) sic doluit* (Dionysius), *nihil ut tulerit gravius in vita: quem enim vehementer amarat, occiderat.*[1]) Mirus animi motus in Dionysio illo crudelissimo, qui nunquam cujusquam misericordia commoveretur.

*Mihi quidem ita jucunda hujus libri confectio fuit, ut non modo omnes absterserit senectutis molestias, sed effecerit mollem etiam et jucundam senectutem.*[2]) Singularem salubremque illius libri vim agnosces.

*At enim haec ita commissa sunt ab isto, ut non cognita sint ab omnibus.*[3]) Cicero ut haberet ad quae acriter responderet, fingit aliquem interpellantem mendaciique coarguentem et eam rem Modi ope exagitantem.

In Verris animo omnia quum essent improba et flagitiosa et nefaria, tamen ex iis quaedam inventa sunt, quae ceteris cumulum addebant: quorum ratio per Modum indicatur et exaggeratur.

*Magistratuum autem nostrorum injurias ita multorum tulerunt, ut nunquam ante hoc tempus ad aram legum praesidiumque vestrum publico consilio confugerint.*[4]) Unde conjici potest et Verris scelera fuisse intolerabilia, et Siculos summa tantum necessitate coactos praesidium auxiliumque petiisse.

*In C. Cassio viro clarissimo et fortissimo, quum is eo ipso tempore primo istius anno consul esset, tanta improbitate usus est, ut, quum ejus uxor, femina primaria, paternas arationes in Leontino, frumentum omne in decumas auferri jusserit.*[5])

*Scitote, tantam acerbitatem istius, tantum scelus in aratores fuisse, ut homines propter injurias licentiamque decumanorum mortem sibi ipsi consciverint.*[6]) Ciceronem, nisi certam idoneamque Perfecti temporis ponendi habuisset causam, scribere potuisse *ut consciscerent*, argumento sunt duo, quae sequuntur, exempla, cujusmodi scis sexcenta inveniri:

*Unum illud intelligo, ea spe istum fuisse praeditum, ut omnem rationem salutis in pecunia poneret; hoc erepto praesidio, ut nullam sibi rem adjumento fore arbitraretur.*[7]) Simile est hoc:

*Rem navalem ita dico esse administratam, non uti provincia defenderetur, sed ut classis nomine pecunia quaereretur.*[8])

*At ita studiosus est hujus praeclarae existimationis, ut putetur in hisce rebus intelligens esse, ut nuper (videte hominis amentiam!) posteaquam est comperendinatus, quum jam pro damnato mortuoque esset, ludis Circensibus, mane apud L. Sisennam, quum essent triclinia strata argentumque expositum in aedibus, quum pro dignitate L. Sisennae domus esset plena hominum honestissimorum, accesserit ad argentum contemplari unumquodque otiose et considerare coeperit.*[9])

*Fanum est Junonis antiquum, quod tanta religione semper fuit, ut non modo illis Punicis bellis, quae in his fere locis navali copia gesta atque versata sunt, sed etiam in hac praedonum multitudine semper inviolatum sanctumque fuerit.*[10])

*Dicunt legati Melitenses publice, spoliatum templum esse Junonis: nihil istum in religiosissimo fano reliquisse: quem in locum classes hostium saepe accesserint, ubi piratae fere quotannis hiemare soleant, quod neque praedo violarit antea neque un-*

---

[1]) Cic. Tust. V. 20. §. 60. [2]) Cic. Cat. M. 1. §. 2. [3]) Cic. Verr. I., 5. §. 15. [4]) Cic. Verr. II., 2. 3. §. 8. [5]) Eod. II., 3. 41. §. 97. [6]) Eod. II., 3. 56. §. 129. [7]) Cic. Verr. I., 3. §. 10. [8]) Id. II., 5. 17. §. 43. [9]) Eod. II., 4. 15. §. 33. [10]) Eod. II., 4. 46. §. 103.

*quam hostis attigerit: id ab uno isto sic spoliatum esse, ut nihil omnino* s i t r e l i c t u m.[1])

*Omnia vetera praetermittam: duo sola recentia sine cujusquam infamia ponam; ex quibus conjecturam facere de omnibus possitis: unum illud, quod ita fuit illustre notumque omnibus, ut nemo tam rusticanus homo Romam ex ullo municipio vadimonii causa* v e n e r i t, *quin sciret jura onmia populi R. nutu atque arbitris Chelidonis meretriculae gubernari.*[2])

Illa vides inaudita et singularia esse, ad quae denotanda Perfecti Modus, cujus id munus esse dico, delectus est. Iterum confer proximum locum, in quo nihil mirabile et inauditum esse cognosces:

*Quod crimen ejusmodi est, ut, quum primum ad me delatum est, usurum me illo non* p u t a r e m[3]) Contra haec specta:

*Hic contra ita quievit, ut eo tempore omni Neapoli* f u e r i t.[4])

*Tum autem, illo profecto, Sulla procurante ejus rem et gerente, plurimis et pulcherrimis P. Sittii praediis venditis, aes alienum ejusdem dissolutum: ut, quae causa ceteros ad facinus impulit, cupiditas retinendae possessionis, ea Sittio non* f u e r i t, *praediis deminutis.*[5])

*Ita a patronis res cognita est, ut nulla in re a ceterorum sententiis Sulla dissens*e r i t.[6])

*Tantum dico: talem hunc in ista rogatione, quam promulgavit non de tollenda, sed de levanda calamitate fratris sui, fuisse, ut consultum esse* v o l u e r i t *fratri, cum republica pugnare* n o l u e r i t: *promulg*a r i t *impulsus amore fraterno, destit*e r i t *fratris auctoritate deductus.*[7])

*Ita se gessit in tribunatu, ut, onere deposito domestici officii, nihil postea nisi de reipublicae commodis cogit*a r i t.[8])

*Tanta auctoritas in C. Mario fuit, ut non per L. Crassum, affinem suum, hominem incredibili eloquentia, sed paucis ipse verbis causam illam gravitate sua defend*e r i t *et prob*a r i t.[9])

*Ardebat autem cupiditate sic (Hortensius), ut in nullo unquam flagrantius studium vid*e r i m.[10])

*Quod ostentum habuit hanc vim, ut Dionysius paucis post diebus regnare coep*e r i t.[11])

Mirum in modum et inopinato factum est, ut illud ostentum equi voraginibus hausti, mox cum apum examine emersi talem haberet eventum.

*Urbis autem ipsius nativa praesidia quis est tam negligens, qui non habeat animo notata planeque cognita? cujus is est tractus ductusque muri quum Romuli tum etiam reliquorum regum sapientia definitus ex omni parte arduis praeruptisque montibus, ut unus aditus, qui esset inter Esquilinum Quirinalemque montem, maximo aggere objecto fossa cingeretur vastissima, atque ut ita munita arx ex circumjectu arduo et quasi circumciso saxo nit*e r e t u r, *ut etiam in illa tempestate horribili Gallici adventus incolumis atque intacta perman*s e r i t.[12]) Crederes omnia capta esse a Gallis: minime vero, restitit arx.

Haud parum succuritur sententiae meae a Suetonio propter Imperfecti et Perfecti societatem:

*Satis constat, exituro viaticum defuisse, tanta egestate rei familiaris, ut uxore et liberis, quos Romae relinquebat, meritorio coenaculo abditis, domum in reliquam*

---

[1]) Cic. Verr. II., 4. 47. §. 104. [2]) Eod. II., 5. 13. §. 34. [3]) Eod. II., 5. 61. §. 158. [4]) Cic. p. Sulla. 5. §. 17. [5]) Eod. 20. §. 56. [6]) Eod. 21. §. 60 extr. [7]) Eod. 22. §. 62. [8]) Eod. 23. §. 65. [9]) Cic. p. Balb. 21. §. 49. [10]) Cic. Brut. 88. [11]) Cic. Div. I., 33. §. 73. extr. [12]) Cic. d. Rep. II., 6. §. 11.

*partem anni oblocaret utque ex aure matris detractum unionem pigneraverit ad iteneris impensas.* [1])

Num verisimile est, Suetonium ita fuisse obliviosum, ut se in priore enunciatione usum Imperfecto fuisse ignoraret? Imo tam sibi vicina sunt illa Tempora, ut Suetonius suo utrumque loco non possit non consulto posuisse. Et quis miretur, Vitellium rei domesticae difficultate coactum ablocasse domum, uxore et liberis in meritorium coenaculum translatis. Quod vero in provinciam proficiscens ad tantam mendicitatem redactus fuerat, ut matrem auris unione, unde itineris sumtibus sufficeret, spoliavit; sane habet, quod cum stupore mireris quodque averseris, tota denique res a pietate filii abhorret. Sed ne Suetonium mihi explodas ut parum locupletem ac paene nullius auctoritatis testem: sunt tali structura alii usi praeter illum auctores iique gravissimi et qui elegantia latini sermonis excellant vetustatisque habeant auctoritatem.

Ipsum Ciceronem delectum habuisse Perfecti et Imperfecti societatemque nosse evidentissime apparet ex tribus his locis:

*Ex hac iniquitate istius et improbitate etiam illa scelera sunt, quae per Theomnastum et Aeschrionem et Dionysodorum et Cleomenem invitissima civitate facta sunt, primum ut urbs tota spoliaretur; deinde ut in curia Syracusis honestissimo loco et apud illos clarissimo, ubi illius ipsius M. Marcelli (qui eum Syracusanis locum, quem eripere belli ac victoriae lege posset, conservavit et reddidit) statua ex aere facta, ibi inauratam isti, et alteram filio statuam posuerint.* [2]) Quod Verres sese atque filium suum dignos, quibus statuae ponerentur idque eodem loco, ubi M. Marcelli statua erat, habuit, impudentiae modum superat omnem.

*Ecquem tu horum, qui adsunt, quibus te contra ipsorum voluntatem venditabas, aut tam sceleratum statuis fuisse, ut haec omnia perire voluerit, aut tam miserum, ut et se perire cuperet et nihil haberet, quod salvum esse vellet.* [3])

*Ita a Cn. Pompejo absolutus est (Sthenius), ut in eo ipso judicio Pompejus hunc hospitio suo dignissimum statuerit, ita porro laudatus defensusque ab omnibus Siculis, ut idem Pompejus non ab homine solum, sed etiam a provincia tota se hujus absolutione inire gratiam arbitraretur.* [4]) Maximi momenti est ad causam Sthenii, quod Pompejus eum, qui paulo ante reus fuisset, suo dignissimum hospitio statuit. Quid vero idem de ineunda gratia sperarit, parum refert.

*Summa difficultate rei frumentariae affecto exercitu tenuitate Bojorum, indiligentia Aeduorum, incendiis aedificiorum usque eo, ut complures dies milites frumento caruerint et pecore e longinquioribus vicis adacto extremam famem sustentarent: nulla tamen vox est ab iis audita populi Romani majestate et superioribus victoriis indigna.* [5]) Foedissimam regionis faciem fuisse et Caesaris in ancipiti res, non est conjectu difficile. Exercitus frumento caruit: id bene tu, quaeso, advertas; nam frumenti penuriam quanti tumultus quamque seditiones militum graves secuta sint, quis est quin vel viderit vel legerit vel fando audierit? Nam fame stimulante licentia invadit mortalium pectora et immodestia, ac multa contra jus fasque moliuntur atque perpetrant. Ergo est gravissimi momenti inopia frumenti. At Romana pubes quum pudoris plena esset et imperii majestatis memor, labores belli sustinuit et in officio mansit nec sacramenti religionem rupit. Dubitari potest, ut mea sententia valeat, an scribi debuerit *sustentaverint*. Minime; nam Caesar obsequium et duritiam militum maxima rerum iniquitate circumventorum virtutes ipsis a natura

---

[1]) Suet. Vitell. 7. [2]) Cic. Verr. II., 2. 21. §. 50. [3]) Cic. p. Sulla 11. [4]) Cic. Verr. II., 2. 46. §. 113. [5]) Caes. B. G. VII. 17.

insitas nec eas ob id admodum agitandas demonstrat. Obsequium igitur et tolerantiam laborum Romani militis communes virtutes esse significat, quas qui commemorat, justo ac debito officio fungitur; qui extollit, elevat. Haec ita esse ostendunt quae sequuntur: *nulla tamen vox* rel. Romuli proles generis sui memoria et nobili spiritu elata omnia dura et aspera vincit. — Haec insunt in Imperfecto, quo rursus Perfecti antegressi vis et pondus augetur.

*Biennio adeo varia fortuna cum consulibus conflixerat, ut plerumque superior fuerit magnamque partem in societatem perduceret.*[1]) A Romanis orbis terrarum victoribus victum esse non fuit quod cuiquam ignominiae esset; at quod Romani consules inferiores proeliis discedere soliti sunt, id permirum profecto accidit post Hannibalis memoriam. Suum itaque locum obtinet Conjunctivus Rhetoricus, quo res repentinas vel quas non exspectaveris, efferri supra dixi. Suo loco etiam quod sequitur Imperfectum positum est; nam hoc a natura insitum homini est, ut qui viribus inferior esset, societati valentiorum se jungeret; redit igitur oratio ab inusitatae rei praedicatione ad narrationem.

Illis sex locis praemissis et quasi praeeuntibus est similis hic Ciceronis:

*O beatos illos, qui quum adesse ipsis propter vim armorum non licebat, aderant tamen et in medullis populi Romani et visceribus haerebant: nisi forte Accio tum plaudi et sexagesimo post anno palmam dari putabatis, non Bruto, qui ludis suis ita caruit, ut in illo apparatissimo spectaculo studium populus Romanus tribuerit, desiderium liberatoris perpetuo plausu et clamore leniret.*[2]) Caesare occiso ejusque funere omni honore apparatuque celebrato, Antonius interitu Dictatoris nihil motus et eorum quae Brutus Cassiusque ad eum scripserant, immemor variis artibus regnum affectat. Paullo post illi conjurationis principes in urbe parum se tutos rati, omnia enim contra exspectationem cesserant, solum vertunt; et quum praetores essent, qui abesse ab urbe lege prohibebantur, factam sibi exsulandi honesto nomine potestatem in beneficii loco ponebant. Interea Antonius omnia tentare, sollicitare, omnibus viribus agere, ut prava consilia exsequeretur. At intonuit Ciceronis in curia vox omnibusque in illum nervis, ut deterreret ab inceptis, jecit terrores, monuit de ludis Apollinaribus, quibus etsi Brutus praetor edendis non adfuerat, in absentem tamen populus, qui praesidentis ludis Antonii consiliis et moribus infensus esset, caritatem plausu clamoribusque significavit, unde populum non unius dominationi parere, sed libera republica et suis legibus institutisque uti velle intellectum est. Hanc sententiam ita Cicero explicat, ut contraria iis quae Antonius exspectavisset, necopinato evenisse dicat. Qui interpretis munere fungitur, verbis potest his uti: Non modo non caruit suis ludis M. Brutus, sed ab universo etiam populo (exemplum tu sume quaeso, Antoni!) celebratus est absens te praesente, te ludos edente, Antoni! Non aberraveris a vero, si addideris: *Quantum igitur te, Antoni, fefellit opinio! Tu tibi errore opinionis regnum finxisti, at repudiavit te populus regem, te detraxit de coelo! Nihil ergo est, Antoni, quod moliare!* Ea omnia ita sunt composita et instructa, ut tum Patres se in spem duraturae reipublicae erigerent, tum Antonii animus vehementer commoveretur et pungeretur frangereturque. In sequentibus, quae ex antegressis manant, sedato jam animi motu Cicero non extollit transactam rem, sed narrat exploratam certamque minimeque ob id memorabilem quippe ex populi in Brutum studio ortam. Nam si populum Bruti desiderio teneri constabat, simul regni spem exclusam esse et constitit et Antonius cernebat. Ut igitur priora ad permovendos animos oratorio robore et impetu dicta sunt, ita haec tranquillata et composita

---

[1]) Vellej. I. 9. init. [2]) Cic. Phil. I. 15.

profluxere. Hanc quam modo explicui vulgatam lectionem mutarunt Baiterus et Halmius, V.V. Cl., ego ipsam defendebam et cur receperim dixi atque restituendam censeo.

Sed Rhetoricus Modus secum Imperfecti Conjunctivum, nisi ubi priorem partem altera inferior eaque re nihil memorabile neque quod praeter spem evenerit ennucians excipiat non sociat; ubi vero duae enunciationes ita sunt affectae, ut pares inter se unius rei partes habeantur, tum in utraque Perfectis locus est.

*Cujus* (Paulli triumphus) *tantum priores excessit, vel magnitudine regis Persei, vel specie simulacrorum, vel modo pecuniae, ut bis millies centies HS aerario contulerit et omnium anteactorum comparationem vicerit.*[1]) Duas res pariter vult spectari Vellejus et premi et eminere, primum ingentem pecuniam aerario collatam, deinde triumphi omnibus anteactis superioris magnificentiam.

*Quo populus Romanus nihil vidit indignius, nisi ejusdem viri mortem, quae tantum potuit, ut omnes cives suos perdiderit et afflixerit.*[2])

*Equites hostium essedariique acriter proelio cum equitatu nostro in itinere conflixerunt, tamen ut nostri omnibus partibus superiores fuerint, atque eos in silvas collesque compulerint.*[3]) Primo adspectu praeceptum illud nostrum non videtur hoc loco comprobari; non enim miraculo est, Romanos cum Britannis nec scientiam rei militaris nec usum habentibus prospere pugnasse. At enim Britannos et novum hostis genus fuisse et summis copiis contendisse, sequentia ostendunt. Deinde animadvertes, premendas quasdam voces esse: *acriter, in itinere, omnibus partibus.* Barbarae nationes hostem militiam edoctum aggressae, quum res inclinatur, stare raro solent: id quod Romani tum quoque fore haud dubie speraverant. Et quum proelium in itinere committitur: a militibus composito etiam agmine proficiscentibus dimicari periculosius, historia bellorum documento est. Jam finge victos hostes; tamen raro continget, ut omnibus partibus sint inferiores; plerumque unius partis clades momentum victoriae facit. Quas ob res simul spectandas Caesar hanc tantam suorum virtutem laudibus decorat, quae efficiat in iis admirationes. Denique in utraque enunciatione positum Perfectum est, non Imperfectum, ut supra in postoriore, propterea quod, quamquam victi Britanni fuere, non idcirco sequitur, ut in silvas etiam collesque compellerentur. Collaudantur igitur milites primum, quod vicerunt hostes, deinde quod in silvas collesque eos compulerunt.

*Quum haec exprobrando hosti Marcellus suorum militum animos erigeret, Hannibal multo gravioribus probris increpabat: Arma signaque eadem se noscere, quae ad Trebiam Trasimenumque, postremo ad Cannas viderit habueritque.*[4]) Modus Rhetoricus cur sit positus, legere pergenti perspicuum erit. Hannibal milites suos, quantas res quamque praeclaras olim gesserint et quam varient tum gestae, monet exprobratque eorum ignaviam. Dissimilitudini ille Modus rerum ante actarum et post indicandae inservit, quasi dicat: olim quam praeclare gesta, milites, edidistis! Eheu quam nunc secus! Animadvertes quoque particulam *que* explicandi natura praeditam et idem significantem quod *id est.* Temporis ergo mutationem non convenire nemo non intelligit.

*Adeo turbati erant dexterae alae equites peditesque, ut quosdam consul manu ipse reprehenderit et adversos in hostem verterit.*[5]) Quanto igitur in periculo dux et exercitus versabantur et quam prope erat, ut alius ab alio tracti dilaberentur et acies dissi-

[1]) Vell. I. 9. extr. [2]) Cic. Sext. Rosc. Amer. 12 §. 33. [3]) Caes. B. G. V. 15. [4]) Liv. XXIII. 45. [5]) Liv. XXIV. 14.

paretur et omnis exercitus in fugam effunderetur! Illud ultimi discriminis tempus Livius Perfectis usus vegetis coloribus pingit, ita ut rei oratio congruat.

*Temporis tanta fuit exiguitas hostiumque tam paratus ad dimicandum animus, ut non modo ad insignia accommodanda, sed etiam galeas inducendas scutisque tegimenta detrahenda tempus defuerit.*[1]) Vides congressionis maximam celeritatem fuisse et in summo discrimine et Caesarem et exercitum; tamen victoriam reportavere Romani.

*Quae res (malacia) ad negotium conficiendum maxime fuit opportunum; nam singulas nostri consectati expugnaverunt, ut perpaucae ex omni numero noctis interventu ad terram pervenerint.*[2])

Quamquam hostium classis fuerat maxima, tamen perpaucae et eae noctis interventu conservatae sunt. Magnam invictamque Romanorum virtutem! cui extollendae Caesar ipsa Verbi inflexione consuluit animos ad ea advertens, quae memoria et gloria digna haberi vellet.

*Ut nulla fere civitas fuerit non suspecta nobis.*[3]) Trepidae profecto ac discriminis plenae res, quum fere nulla esset civitas, qua Caesar posset confidere. Praeparantur animi legentium ad audiendam Indutiomari rebellionum concitatoris caedem, quam Labienus propter sui suorumque tuitionem jusserat.

*Transeuntem Apenninum adeo atrox adorta tempestas est, ut Alpium foeditatem prope superaverit.*[4]) Quantam putamus fuisse illius tempestatis saevitiam, qua Alpium transitu labores et pericula exhausta inferiora prope fuerunt. Poeni omnibus calamitatibus toleratis omnia deinde secundiora sperare potuerunt, quum ea spe dejecti a diis iratis, non ab hostibus opprimi visi sunt.

*Qui terrores tamen eo evasere, ut Oppia virgo Vestalis, damnata incesti poenas dederit.*[5]) Quis divinaverat, initium causamque tot prodigiorum ac malorum a virgine Vestali repetendam esse?

*Inter Lavinium et Albam Longam coloniam deductam triginta ferme interfuere anni; tantum tamen opes creverant maxime fusis Etruscis, ut ne morte quidem Aeneae nec deinde inter muliebrem tutelam rudimentumque primum puerilis regni movere arma aut Mezentius Etruscique aut ulli alii accolae ausii sint.*[6]) Illud sane dignum admiratione est, quod Alba Longa triginta annorum spatio est tantis incrementis aucta, ut finitimorum circa hostium nullus ne occassione a fortuna data quidem uteretur et mortui Aeneae uxori parvuloque filio bellum inferret; id praeterea est argumento, mulieris maximam fuisse solertiam et ad rempublicam administrandam dexteritatem.

*Q. Marcius respondit, ea mansuetudine atque misericordia senatum populumque Romanum semper fuisse, ut nemo unquam ab eo frustra auxilium petiverit.*[7]) Frigeret Imperfectum *peteret* essetque narrantis et ob eam rem alienum ab hoc loco; non enim illud Q. Marcii Regis interest, ut, id quod non opus momoratu utpote omnibus cognitissimum, senatum populumque Romanum in poenitentes reos clementem et misericordem fuisse narret, sed instat ut ad unicam spem salutis, clementiam senatus populique Romani confugiant.

*Catalina*[8]) *literas mittit: se falsis criminibus circumventum, quoniam factioni inimicorum resistere nequiverit, fortunae cedere, Massiliam in exilium proficisci, non quo sibi tanti sceleris conscius esset, sed* rel. Perfectum *nequiverit* positum est, ut mise-

---

[1]) Caes. B. G. II. 21. [2]) Eod. III. 15. [3]) Eod. V. 54. [4]) Liv. XXI. 58. [5]) Jd. II. 42. [6]) Jd. I. 3. [7]) Sallust. Cat. XXXIV. §. 1. [8]) Eod. §. 2.

ricordia legentibus et indignatio commoveretur et inde ipsi auxilium pararetur. Si mihi occurratur, *circumventum cedere* Tempus Praesens esse, cui ex Grammaticae lege Perfectum rite sequatur: id ego quidem fultus sequentium Imperfectorum auctoritate *esset*, *foret*, *oriretur*, prorsus nego.

*Scipio tam elegans liberalium studiorum omnisque doctrinae et auctor et admirator fuit, ut Polybium Panaetiumque, praecellentes ingenio viros, domi militaeque secum habuerit. — Mummius tam rudis fuit, ut capta Corintho, cum maximorum artificum perfectas manibus tabulas ac statuas in Italiam portandas locaret, juberet praedici conducentibus, si eas perdidissent, novas eos reddituros.*[1]) — Praedicantur per *habuerit* Scipionis mores et studia et quae cum Polybio Panaetioque fuit familiaritas, nobilitanturque et Mummii moribus opponuntur. Quod vero Mummius, vir expers liberalis doctrinae, non sit Perfecto Rhetorico notatus, causa est in sequentibus, ubi Vellejus Corinthiorum intellectum reipublicae periculosum dolet et priscorum imprudentiam ei, quae tum esset prudentiae anteponit eoque non tam reprehendit Mummium, quam per ambages probat. — Jam hoc quod sequitur elatum Imperfecto exemplum circuitione quadam Perfecti usum enodabit et nunquam nec Imperfectum nec Perfectum sine probabili et certa ratione positum docebit.

*Primus ille (Sulla), et utinam ultimus! exemplum proscriptionis invenit, ut in qua civitate petulantis convicii judicium histrioni exoleto redditur, in ea jugulati civis Romani publice constitueretur auctoramentum plurimumque haberet, qui plurimos interemisset neque occisi hostis, quam civis, uberius foret praemium fieretque quisque merces mortis suae.*[2]) Quid? inquiet quispiam, tu ad confirmandum istud praeceptum existimas illum valere locum? Non sentis pugnare haec cum iis quae supra praecepisti? Non nova fuere illa facinora, non atrocia, non digna exsecratione summoque odio? Num quid magis consentaneum est, quam ex tua opinione commentoque exspectari Perfectum? Tu scilicet praecipis, tu probas, tu convincis; at motus tua auctoritate ita Vellejus fuit, ut Rhetoricum istud Perfectum — non posuerit! Age nunc demonstres lapsum esse Vellejum atque imitere illum artificem, quem Voltairius finxit, medicum, qui, quum homo quidam graviter aegrotans, quem profecto moriturum praedixerat, largiore aqua usus naturae beneficio convaluisset, diffusum opus et copiosum eruditumque conscripsit, quo illum quidem mori ex artis ratione, perire illum oportuisse probaret. — At tu, o bone, parce, precor, sale nigro; dic, sodes, potius, civilibus bellis quid potest esse novum, quid inexspectatum? ubi immania omnia sint, ubi nihil intra humanae naturae fines fiat, ubi natura illa, quam hominem appellamus, cupiditatum et libidinum stimulis acta et alienata atram diramque infernorum terrorum et scelerum nefandorum cohortem invehat: quae quamquam horres et exsecraris, tamen haec animi feritati insunt et immanitati ab eaque proficiscuntur. Atque etiam Vellejus rei insolentiam minuit addendo: *et utinam ultimus!* Non profecto illa Romano civi fuere Velleji tempore ignota scelera et inaudita.

*Adeo enim Sulla dissimilis fuit bellator ac victor, ut, dum vinceret, justissimo lenior, post victoriam audito fuerit crudelior.*[3]) Probantibus verbis non est opus; exstat rei novitas.

*Ceterum tanta vis medicamenti fuit, ut, quae secuta sunt, criminationem Parmenionis adjuverit.*[4]) Quanto in discrimine vitae medicus versabatur! Senties Perfecti vim ac pondus, quum universae complexionis sententiam secutus milites vel alios quos talia

[1]) Vell. I. 13. [2]) Vell. II. 28. [3]) Eod. II., 25. [4]) Curt. III., 6. (16).

fere locutos finxeris: Ergone evenere ea, quae Parmenio monuerat? Quid? regis fiducia, quam in isto reposuerat, fuit inanis et vana? Medici est rex interemtus fraude insidiisque?

*Virgines reginas, excellentis formae, tam sancte habuit, quam si eodem, quo ipse, parente genitae forent; conjugem ejusdem, quam nulla aetatis suae pulchritudine corporis vicit, adeo ipse non violavit, ut summam adhibuerit curam, ne quis captivo corpori illuderet.*[1] Hic cur Rhetoricus Modus? Tu ipse excute, quaeso.

*Ceterum tanta alacritate militum rates junctae sunt, ut in triduum ad duodecim millia effectae sint.*[2] Tantam scapharum multitudinem tantulo temporis spatio confectam esse quis non miretur? Sed noli eodem capite aliquot versibus ante:

*Tanta erat apud eos veneratio regis, ut facile periculi, quod horrebant, cogitationem praesentia regis excuteret*, requirere Perfectum; nam offenderes regis animum mirando, quod cives vel milites majestate et praesentia regis laeti pericula contemnerent subeunda pro ipso.

*Equidem sic animalia ista* (elephantos) *contempsi, ut, quum haberem, ipse non opposuerim.*[3] Alexander Hypasin fluvium transiturus, ut, milites, essentne ipsum secuturi, exploraret, eorum animos tentabat; et quum Agrammem regem tria milia elephantorum habere fama increbuisset, metum demebat admonitis de rebus ante praeclare gestis, vana esse dicens, quae a quibusdam jactata essent, militumque virtutem laudavit et ne animum deponerent hortatus est. Elephantes, quum milites timerent, quam nullius ante ad victoriam fuissent momenti, ostendit. Habueram, inquit, elephantos, non sum in acie usus elephantis; vos tamen fiduciae meae egregie respondistis, victoriam retulistis. Quid? non me nunc estis secuturi? Non credo!

*Ut Nasidieni juvit te coena beati?*
*Nam mihi quaerenti convivam dictus here illic*
*De medio potare die. — Fundan: Sic ut mihi nunquam*
*In vita fuerit melius.*[4]

Qui talia audit, in summam exspectationem adducitur clamatque: Apparatissimam coenam lautissimamque! Adeone te ipsum, Fundani, subtilissimi palati hominem et quasi antistitem quendam rei culinariae epulae delectaverunt? Quo sic afficitur legentis animus, ut magna et insignia auditurus videatur; at quid auribus excipit? Luxuriae scilicet et sordium societatem in ea coena, in qua Maecenas, vir ille doctissimi et fastidiossissimi palati interesse dignatus sit. Denique qui magnifica quaedam exspectasset, a Fundanio sese delusum esse videt et cachinnum tollit: id quod Fundanius et voluit efficere et effecit.

Nunc Taciti aliquot locos judicio tuo admoveo auctoris illius gravissimi et qui ne ullum quidem versum, quem non examinasset diligenter, scripserit: illum dico inprimis dignum esse, cujus auctoritati fidem habeamus.

*Naves deerant* (ad Monam insulam aggrediendam): *ratio et constantia ducis transvexit. Depositis omnibus sarcinis lectissimos auxiliarium, quibus nota vada et patrius nandi usus, quo simul seque et arma et equos regunt, ita repente immisit, ut obstupefacti hostes, qui classem, qui naves, qui mare exspectabant, nihil arduum aut invictum crediderint sic ad bellum venientibus.*[5] Nihil, opinor, opus demonstratu, eam impetus faciendi rationem insolitam novamque fuisse. Eandem rationem proximus locus sequitur, quo Agricolae imperatoria virtus extollitur et illustratur:

---

[1]) Curt. III. 12., (32.) [2]) Id. VII., 8. (33.) [3]) Id. IX., 2. (9.) [4]) Horat. Sat. II., 8. 4. [5]) Tac. Agr. 18.

*Quibus rebus multae civitates, quae in illum diem ex aequo egerant, datis obsidibus iram posuere, et praesidiis castellisque circumdatae tanta ratione curaque, ut nulla ante Britanniae nova pars illacessita transi e r i t.*[1]) Contra hoc quod sequitur exemplum est in Historico genere:

*Instinctos ruentesque ita disposuit, ut peditum auxilia, quae octo milia erant, mediam aciem firma r e n t, equitum tria milia cornibus affunder e n t ur.*[2]) Narratur, quid factum sit. Cui loco alium ejusdem Taciti Perfecto distinctum oppono.

*Satis constat, Gajum Cornelium et M. Scaurum et L Bestiam et Vatinium concursu totius civitatis et accusatos et defensos, ut frigidissimos quoque oratores ipsa certantis populi studia excitare et incendere potu e r i n t.*[3]) Perfectum delegit premendae dissimilitudini rei oratoriae quae jaceret ipsius aetate, contra prioribus saeculis maxime floruisset. Rursus addo, in quo ego haud quidquam praestantia dignum video:

*Vos autem Demosthenem et Hyperidem profertis, quos satis constat Philippi et Alexandri temporibus floruisse, ita tamen, ut utrique superstites e s s e n t.*[4]) Quid aliud nisi narratur?

*Alexander tantam fiduciam sui militibus fecit, ut illo praesente nullius hostis arma nec inermes timue r i n t.*[5]) Quanta igitur regis in militum animos potestas fuit, quanta fortitudo et audacia militum! Sed cave credas, hoc loco refutari ea, quae dixissem supra ad Curt. VII., 8. (33); nam Curtius ibi venerationis vim naturalem ostendit esse: verum Justinus, Alexandri morte commemorata, vitam ejus sub unum adspectum, quo res gestae coartantur atque ampliores augustioresque redduntur, subjiciens id consilii habet, ut legentibus admiratio et regis et militum injiciatur.

*Hoc certamen concordi animo ad patruum suum Artaphernen, veluti ad domesticum judicem, deferunt, qui domi cognita causa Xerxen praeposuit: adeoque fraterna contentio fuit, ut nec victor insultave r i t nec victus dolue r i t ipsoque litis tempore munera invicem mis e r i n t et jucunda quoque inter se, non solum credula convivia habu e r i n t, judicium quoque ipsum sine arbitris, sine convicio fu e r i t.*[6]) Temperantiae singulare exemplum consideranti, quam saeva cupiditatis invidiaeque in mortalium animos dominatio sit atque iras ex illis ortas armare in exitium et hominum et civitatum.

*Jam Xerxes septingenta milia de regno armaverat et trecenta milia de auxiliis, ut non immerito prodi t u m s i t, flumina ab exercitu ejus siccata Graeciamque omnem vix capere exercitum ejus potuisse.*[7]) Mirabile dictu! Ingentem exercitum!

*In tali statu biennio fere permansit (Tiberius) contemtior in dies et invisior, adeo ut imagines ejus et statuas Nemausenses subverte r i n t.*[8]) Ingens horror perstringit animum cognoscentem de audacia et temeritate Nemausensium qui non reputarint apud se, quanta pericula essent sibi creaturi illo scelere.

*Germanico usque adeo obtrectavit (Tiberius), ut et praeclara facta ejus pro supervacuis eleva r i t et gloriosissimas victorias ceu damnosas reipublicae increp a r i t.*[9]) Quo turpius Romanis, qui patriae essent amantes, videri nihil potuit.

---

[1]) Tac. Agr. 20. [2]) Eod. 35. [3]) Tac. Or. 39. [4]) Eod. 16. [5]) Justin. XII., 16. [6]) Id. II., 10. [7]) Eod. [8]) Suet. Tib. 13. [9]) Eod. 52.

Haec de particula *ut* Consecutionis quasi aditum vestibulumque obtinente. Sed non solum ei, quam vocant consecutivam, enunciationi id praecipui datum est, ut narrandi et exaggerandi rationem distingueret, verum commune id omnium, quaecumque ad alteram ex ipsa aptam se applicant. Probabo exemplis, quibus, ne extra terminos hujusmodi libellis constitutos egrediar, aut nihil, aut quam minimum interpretationis causa addam. Interseram exempla Imperfectis elata, ut dissimilitudo eluceat.

*Neque vero tam remisso ac languido animo quisquam omnium fuit, qui ea nocte conquieverit.*[1])

*Zeno nullo modo is erat, qui, ut Theophrastus, nervos virtutis inciderit, sed contra qui omnia quae ad beatam vitam pertinerent, in una virtute poneret nec quidquam aliud numeraret in bonis.*[2]) Perstringit Theophrastum agitando Modum *inciderit.*

*At stulte* (fecit Regulus), *qui non modo non censuerit captivos remittendos, verum etiam dissuaserit.*[3]) Haec contra sibi ipse cum gravitate dicit Cicero, quo acrius refutaret. Cf. supra ad Cic. Verr. I., 5. §. 15.

*Tarquinio vero quid impudentius, qui bellum gereret cum iis, qui ejus non tulerant superbiam?*[4]) Modus *gereret* est narrantis.

*Quem quidem virum si nulla vis repentini sceleris sustulisset, quonam modo ille furenti fratri suo patrueli consularis restitisset, qui consul incipientem furere atque conantem sua se manu interfecturum, audiente senatu, dixerit?*[5])

*Grave esse videretur, eum, qui investigarit conjurationem, qui patefecerit, qui oppresserit, cui senatus singularibus verbis gratias egerit, cui uni togato supplicationem decreverit, dicere in judicio: non defenderem, si conjurasset.*[6])

*Caninius fuit mirifica vigilantia, qui suo toto consulatu somnum non viderit.*[7]) Perfectum est facete jocantis cachinnumque moventis. Frigeret Imperfectum, quo qui utitur, narrat rem aliquam. At illa res ipsa cognitissima fuit neque indiguit eo, qui narraret.

*Quum haec essent ita constituta, Verres tot annis atque adeo seculis inventus est, qui haec non commutaret, sed everteret: eaque quae jamdiu ad salutem sociorum utilitatemque reipublicae composita comparataque sunt, ad suos improbissimos quaestus converteret; qui primum certos instituerit nomine decumanos, revera ministros ac satellites cupiditatum suarum.*[8]) Novissima enunciatione cum indignatione explicantur ea, quae prioribus dicta sunt. Dissimilem illi loco hunc agnosces:

*Nemo erat aratorum, qui injuriam sibi factam queri posset, nemo decumanorum, qui grano amplius sibi, quam deberetur, professus esset.*[9])

*Possum deinceps totam rem explicare, deinde ad extremum id, quod accidit dicere: Dionem HS decies centena milia numerasse, ut causam obtineret: praeterea greges equorum ejus istum abigendos curasse, argenti vestisque stragulae quod fuerit curasse auferendum.*[10]) Cuinam haec legenti non veniunt in mentem ea, quae divus Schillerus Capucinum illum apud Vallostinianos concionantem facit:

---

[1]) Caes. B. C. I. 21. [2]) Cic. Acad. I. 10. [3]) Id. Off. III., 27. §. 101. [4]) Id. Tusc. III., 12. §. 27. [5]) Cic. p. Cael. 23. §. 60. [6]) Cic. p. Sull. 30. §. 85. [7]) Id. Epp. ad Fam. VII., 30. [8]) Id. Verr. II., 3, 8. §. 21. [9]) Eod. II., 3., 12. §. 29. [10]) Eod. II., 1., 10. §. 28.

*„Vos agitis fertis simul ova ipsamque parentem.“*

*Miramur, Athenis Minervam, Deli Apollinem, Junonem Sami, Pergae Dianam, multos praeterea ab isto deos tota Asia Graeciaque violatos, qui a Capitolio manus abstinere non potuerit.* [1]) Hic quoque est indignantis Perfectum. Confer sequentem locum, qui est narrantis.

*Ex testimoniis cognoscere potuistis, in his omnibus senatoribus cooptandis non modo suffragia nulla fuisse, sed ne genera quidem spectata esse, ex quibus in eum ordinem cooptari liceret.* [2])

*Ecquo in oppido pedem posuit, ubi non plura stuprorum suorum, quam adventus sui vestigia reliquerit?* [3]) Horribile dictu! Est igitur indignantis.

*O praeclara Verrea! Quoquam accessisti, quo non attuleris tecum istum diem? Etenim quam tu domum, quam urbem adiisti, quod fanum denique, quod non eversum atque extersum reliqueris.* [4]) Est indignantis. Contra narrandi rationem sequitur hic locus:

*Nego esse quidquam a testibus dictum, quod vestrum cuipiam esset obscurum.* [5])

*Nulla domus in Sicilia locuples fuit, ubi ille non textrinum instituerit.* [6])

*Valde sit mirum, neminem fuisse, qui istius se similem dici vellet.* [7])

*Nemo Agrigenti neque aetate tam affecta neque viribus tam infirmis fuit, qui non illa morte, eo nuncio excitatus surrexerit telumque quod fors offerebat, arripuerit.* [8])

*Adhuc neminem cognovi poetam, qui sibi non optimus videretur.* [9]) Trita res est.

*Inventus est scriba quidam, Cn. Flavius, qui cornicum oculos confixerit et singulis diebus ediscendos fastos populo proposuerit et ab ipsis cautis jureconsultis eorum sapientiam compilarit.* [10]) Est extenuantis et deridentis.

*Inventi sunt senatores, qui, C. Verre praetore urbano sortiente, exirent in eum reum, quem incognita causa condemnarent.* [11])

*Solus inventus es, cui non satis fuerit corrigere voluntates vivorum, nisi etiam rescinderes mortuorum.* [12]) Cui loco confer illum, qui paulo ante est:

*Ecquis inventus est postea praetor, qui illud idem ediceret?* [13])

*Latine me, scitote, non accusatorie loqui; etiam planius: nihil in aedibus cujusquam ne in oppidis quidem: nihil in locis communibus, ne in fanis quidem: nihil apud Siculum, nihil apud civem Romanum: denique nihil istum, quod ad oculos animumque acciderit, neque privati, neque publici, neque profani, neque sacri tota in Sicilia reliquisse.* [14]) Crimina profecto gravissima!

*Inventus est nemo, cujus non haec et sententia esset et oratio.* [15])

*Nemo erat Sicilia tota, qui nesciret, decumas esse praetoris, nemo qui non audisset, ita Apronium dictitasse.* [16]) Item Plusquamperfectum habes:

---

[1]) Cic. Verr. II., 4., 34. §. 71. [2]) Eod. II., 2., 49. §. 120. [3]) Eod. II., 1. 24. §. 62. [4]) Eod. ll., 2. 21. §. 52. [5]) Eod. ll., 1. 10. §. 29. [6]) Eod. II., 4. 26 §. 58. extr. [7]) Eod. II., 1. 45. §. 117. [8]) Eod. II., 4. 43. §. 95. [9]) Cic. Tusc. V. 22. §. 63. [10]) Cic. p. Mur. 11. [11]) Cic. Verr. I., 13. §. 39. [12]) Eod. II., 1. 43. §, 111. [13]) Eod. [14]) Eod. II., 4. 1. §. 2. [15]) Eod. II., 1. 27. §. 68. [16]) Eod. II., 3. 59. §. 136.

*Sacrosanctum esse nihil potest, nisi quod populus plebesve sanxisset.*[1]) Redit eadem sententia paulo infra, per Indicativum elata: *Sacrosanctum nihil potest esse, nisi quod per populum plebemve sancitum est.*[2])

*Neminem unquam est hic ordo complexus honoribus et beneficiis suis, q u i ullam dignitatem praestabiliorem ea, quam per vos esset adeptus, put a r i t; nemo unqum hic potuisset esse princeps, qui malue r i t esse popularis.*[3])

*Pauci post genus hominum natum reperti sunt, q u i, nullis praemiis propositis, vitam suam hostium telis obj e c e r i n t.*[4])

*Quas nationes nemo unquam fuit, q u i frangi domarique cupe r e t.*[5])

*Nolite, judices, arbitrari, hominum illum impetum et conatum fuisse — neque enim ulla gens tam barbara aut tam immanis unquam fuit, in q u a non modo tot, sed unus tam crudelis hostis patriae s i t i n v e n t u s — belluae quaedam illae ex portentis immanes ac ferae, forma hominum indutae, exstiterunt.*[6])

*Invenit Archagathus paucos, qui v e l l e n t accipere.*[7])

*Nemo unquam me tenuissima suspicione perstrinxit, q u e m non praevert e r i m.*[8])

*Fuere, q u o s inconsultus pavor nando etiam capessere fugam impule r i t.*[9])

*Nubes (incertum procul intuentibus ex quo monte, Vesuvium fuisse postea cognitum est) oriebatur, c u j u s similitudinem et formam non alia magis arbor, quam pinus expresse r i t.*[10])

*Itaque cum nullo hostium unquam congressus est, q u e m non vice r i t; nullam urbem obsedit, q u a m non expugnave r i t; nullam gentem adiit, q u a m non calcave r i t.*[11])

Vide quae supra dixi ad Justinum.

*Quidam natura cupidissimum (Vespasianum) tradunt idque exprobratum ei a sene bubulco, q u i, negata sibi gratuita libertate, quam imperium adeptum simpliciter orabat, proclamav e r i t: Vulpem pilum mutare, non mores.*[12])

*Rediit certe* (Vespasianus) *nihilo opulentior, ut q u i, prope labefacta jam fide, omnia praedia fratri oblig a r i t necessarioque ad mangonicos quaestus sustinendae dignitatis causa descend e r i t.*[13])

His omnibus, quos laudavi, locis auctoribus etiam apud Horatium Vulgatam lectionem arbitror esse restituendam:

*Olim q u i magni legionibus imperitar i n t.*[14])

Laudibus extollit civilitatem Maecenatis, qui, a Lucumonibus Etruscorum regulis prognatus, non tamen despiciat natos ignobili loco.

*Jam hoc, quis tum fuit Syracusis, q u i n audie r i t, quin sciat, has per Timarchidem pactiones sepulturae cum vivis etiam illis esse factas?*[15]) At Imperfectum habes proximo loco:

---

[1]) Cic. p. Balbo. 11. §. 33. [2]) Eod. 15. §. 35. [3]) Cic. de Prov. cons. 16. §. 38. [4]) Cic. p. Balb. 10. §. 26. extr. [5]) Cic. de Prov. cons. 13. §. 33. [6]) Cic. p. Sulla. 27. §. 76. [7]) Cic. Verr. II., 4. 24. §. 53. [8]) Cic. p. Sulla. 16. §. 46. [9]) Liv. XXII., 6. [10]) Plin. Epp. VI. 16. [11]) Justin. XII., 16. [12]) Suet. Vespas. 17. [13]) Eod. 4. [14]) Hor. Sat. I., 6. 4. [15]) Cic. Verr. II., 2. 53. §. 133.

*Quis tam fuit illo tempore durus et ferreus, quis tam inhumanus praeter unum te, quin illorum aetate, nobilitate, miseria commoveretur? ecquis fuit quin lacrymaretur?*[1]) Misericordia moveri aliquem quid mirum? Cui exemplo rursus hoc oppono:

*Num potes hoc negare, Verres, in foro Lilybaei maximo conventu C. Servilium, civem Romanum, in conventu Panormitano veterem negotiatorem ad tribunal ante pedes tuos ad terram virgis et verberibus abjectum? Aude hoc primum negare, si potes. Nemo Lilybaei fuit, quin viderit, nemo in Sicilia quin audierit.*[2])
*Repertus est nemo, quin mori diceret satius esse.*[3])

*Iugurtha respondit: Adherbalem dolis vitae suae insidiatum; quod ubi comperisset, sceleri ejus obviam isse: populum Romanum neque recte neque pro bono facturum, si ab jure gentium sese prohibuerit.*[4]) Sententia loci haec est: Sum ego insidiis petitus, vos vero me vim vi repellere vetatis! Id quis credat? „Das Röm. Volk werde weder recht noch gut thun, wenn es ihm die völkerrechtliche Nothwehr — verbiete.“ Prohibuerit est pro prohiberet; recta oratio hujusmodi est: Vos neque recte neque pro bono facietis, si me prohibebitis (prohibeatis.)

*Quum prope omnis civitas eo convenisset doceretur que paucis clam convocatis, alio loco, alio tempore, atque oportuerit, fratrem a fratre renunciatum, quum leges duo ex una familia vivo utroque non solum magistratus creari vetarent, sed etiam in senatu esse prohiberent.*[5])

*Quarum omnium rerum maxime admirandum videbatur, quod Germani, qui eo consilio Rhenum transierant, ut Ambiorigis fines depopularentur, ad castra Romanorum delati optatissimum Ambiorigi beneficium obtulerint.*[6]) Singularis casus. Non officit fidei praecepti mei locus proximus:

*Laudavimus nuper ut miram et eximiam Vespasiani liberalitatem, quod quingenta sestertia Basso donasset.*[7]) Plusquamperfectum non minus, quam Imperfectum, narrandi Modus est; mavult Asper narrare, quam Vespasiani liberalitatem ut omnibus mirandam efferre et proponere: id quod offensioni Imperatori fuisset; nam auri tenax et avarus fuisse dicitur.[8])

*Objectum est etiam, quod in tribum Crustuminam pervenerit.*[9])
*Nemo unquam est de civitate accusatus, quod aut populus fundus factus non esset, aut quod foedere civitatis mutandae jus impediretur.*[10])

*Reprehendistis, a patre quod semigrarit.*[11])

*Non dicam id, quod probare difficile est: hoc dicam, quod ostendam, multos ex te viros primarios audisse, quum diceres, ignosci tibi oportere, quod falsum codicem protuleris.*[12])

*Itaque nullius caedes majorem apud Graecos Alexandro excitavit invidiam, quod praeditum optimis moribus artibusque, a quo revocatus ad vitam erat, quum interfecto Clito mori perseveraret, non tantum occiderit, sed etiam torserit, indicta quidem causa.*[13])

---

[1]) Cic. Verr 5. 46. §. 121. [2]) Eod. 5. 54. §. 140. [3]) Id. II., 2. 36. §. 88. [4]) Sallust. B. J. 22. [5]) Caes. B. G. VII., 33. [6]) Id. VI., 24. [7]) Tac. Or. 9. [8]) Tac. Hist. II., 5. Suet. Vespas. 17. 23. [9]) Cic. p. Balb. 25. §. 57. [10]) Eod. 23. §. 52. [11]) Cic. p. Cael. 7. §. 18. [12]) Cic. Verr. II., 1. 61. §. 157. [13]) Curt VIII., 8 extr.

*Sthenius postulat, ut quum secum sui cives agant de literis publicis corruptis ejusque rei legibus Thermitanorum actio sit: quum senatus populusque Romanus Thermitanis, quod semper in amicitia fideque mansissent, urbem et agros legesque suas reddidisset; Publiusque Rupilius postea leges ita Siculis ex senatusconsulto de decem legatorum sententia dedisset, ut cives inter se legibus suis agerent; idemque hoc habuerit Verres ipse in edicto: ut de his omnibus causis se ad leges rejiceret.* [1])

*Quum Rhodii bellum illud prope soli superius cum Mithridate rege gesserint omnesque ejus copias acerrimumque impetum moenibus litoribus classibusque suis exceperint, cum et regis inimici praeter ceteros essent, statuam ejus, quae erat apud ipsos in celeberrimo urbis loco, ne tum quidem in ipsis urbis periculis attigerunt.* [2]) *Nam hoc toto proelio, quum ab hora septima ad vesperum pugnatum sit, aversum hostem videre nemo potuit.* [3])

*Cujus (Viriathi) ea virtus continentiaque fuit, ut, quum consulares exercitus frequenter vicerit, tantis rebus gestis non armorum, non vestis cultum, non denique victum mutaverit.* [4])

*Tantam famae velocitatem fuisse, ut, quum matutino tempore proelium in Boeotia commissum sit, meridianis horis in Asiam per tot maria et tantum spatii tam brevi horarum momento de victoria nunciatum sit.* [5])

*Ita proelium restitutum est atque omnes hostes terga verterunt, neque prius fugere destiterunt, quam ad flumen Rhenum milia passuum ex eo loco circiter quinquaginta pervenerint.* [6])

*Multos sibi referre, uti Cannensi proelio non prius pugna abstiterit, quam prope exsanguis ruina superincidentium virorum, equorum armorumque sit oppressus.* [7]) *Hic sociorum ambustus incendio tamen ex illa flamma periculoque evolavit neque adhuc causam ullam excogitare potuit, quamobrem commiserit aut quid evenerit, ut in tantum periculum veniret.* [8]) In rem meam erit, sequentem locum conferre:

*Quaesivi a Catilina, in nocturno conventu apud M. Laecam fuisset, necne.* [9])

*Ac si jam ex patribus Albini aut Bestiae quaeri posset, mene an illos ex se gigni maluerint, quid responsuros creditis nisi sese liberos quam optumos voluisse.* [10])

Iterum confer tres proximos locos:

*Sed confecto proelio, tum vero cerneres quanta audacia quantaque vis animi fuisset in exercitu Catilinae.* [11])

*Sed mihi multa legenti, multa audienti, quae populus Romanus domi militiaeque mari atque terra praeclara facinora fecit, forte lubuit attendere, quae res maxume tanta negotia sustinuisset.* [12])

*Si esset dubium, petissent a me praesidium, necne, dicerem cur petissent.* [13])

---

[1]) Cic. Verr. II., 2. 37. §. 90. [2]) Eod. ll., 2. 55. §. 159. [3]) Caes. B. G. I. 26. [4]) Justin, XLIV., 2. [5]) Eod. ll., 14 extr. [6]) Caes. B. G. I., 53. [7]) Liv. XXIII., 15. [8]) Cic. Verr. ll., 1. 27. §. 70. [9]) Cic. Catil. ll., 6. §. 13. [10]) Sallust. B. J. 85. §. 16. [11]) Id. Cat. 61. [12]) Eod. 53. §. 2. [13]) Cic. in Caec. Div. 4. §. 15.

*Qua cogitatione bellum agitaverit, an opes viresque adversum fratrem, in incerto fuit.* [1])

*Multum autem fluxisse video de libris nostris, quos complures brevi tempore edidimus, variumque sermonem partim admirantium, unde hoc philosophandi nobis studium exstitisset, partim quid quaque de re certi haberemus scire cupientium.* [2])

*Quae fuerit hesterno die Cn. Pompeji gravitas in dicendo, judices, quae facultas, quae copia, non opinione tacita vestrorum animorum, sed perspicua admiratione declarari videbatur.* [3])

Haec habui, quae de Modo Rhetorico s. Pathetico traderem promeremque: quae qualiacunque sunt, si praeter spem minus probentur, id tamen spero laudis habitura, ut iis invitati homines docti in animos inducant, ut de illo accuratius inquirant. Quod vero initio animo proposueram, ut Graecam etiam particulam *ὥστε* in quaestionem vocarem, id quominus faciam, spatii exiguitate excludor. Sed quod differtur, ut ajunt, non aufertur: hoc unum volo praemissum, tum finiendi tum optandi nexos illi particulae Modos esse Rhetoricos s. Patheticos, contra indefinitum Modum, quem Infinitivum vocant, narrandi rationi inservire. Quod ad probandum ex collecta quasi nube locorum, quae tota alio tempore demittetur, hos quattuor delegi:

*ὁ δὲ (Κανδαύλης) ἀμείβετο τοισίδε· Θάρσει, Γύγη, καὶ μὴ φοβεῦ μήτε ἐμὲ, ὥς σεο πειρώμενον λόγον τόνδε, μήτε γυναῖκα τὴν ἐμὴν, μή τί τοι ἐξ αὐτῆς γένηται βλάβος. ἀρχὴν γὰρ ἐγὼ μηχανήσομαι οὕτω, ὥστε μηδὲ μαθεῖν μιν ὀφθεῖσαν ὑπὸ σεῦ.* [4]) Candaules Gygi pollicetur, ita se rem instituturum, ut ne sentiat quidem uxor se ab eo spectatam. Quam rationem ego quidem cur novam quisquam ducat, ullam esse causam non video. Ac si rem periculi plenam esse significasset, verendum erat, ne Gyges nollet facere postulatum. Quapropter si rem nec solertia nec molitione majore indiguisse concesseris, etiam Infinitivum recte se habere consenseris.

*Κροῖσος δὲ σπερχθεὶς εἶπε· Ὦ ξεῖνε Ἀθηναῖε, ἡ δὲ ἡμετέρη εὐδαιμονίη οὕτω τοι ἀπέρριπται ἐς τὸ μηδὲν, ὥστε οὐδὲ ἰδιωτέων ἀνδρῶν ἀξίους ἡμέας ἐποίησας.* [5]) Res est nulli non nota: Croesus indignans quod ipsum Solon non judicasset beatum: Nostram, inquit, fortunam adeo pro nihilo duxisti, ut nos ne privatis quidem hominibus *aequaveris.* Illud indignissimum Croeso est visum, quod ipse qualis rex esset, infra mediocrium hominum condicionem putaretur: quo nihil ei nec contumeliosius, nec quod magis a majestatis fastigio abhorreret accidere posse visum est. Vides, ut Solonis dictum Barbarorum rex notabile putarit et non conveniens felicitati suae. Accommodatus ergo est sententiae argumento usus Indicativi.

*Βοηθησάντων δὲ Ἀργείων τῇ σφετέρῃ (χώρῃ) ἀποταμνομένῃ, ἐνταῦθα συνέβησαν ἐς λόγους συνελθόντες, ὥστε τριηκοσίους ἑκατέρων μαχέσασθαι.* [6]) Non possum invenire quidquam, quo admodum animus moveatur, quod inter Spartanos et Argivos convenit, ut treceni de Thyrea, utri potirentur, contenderent.

*ὁ δὲ δὴ, (Δηιόκης) οἷα μνεώμενος ἀρχὴν, ἰθύς τε καὶ δίκαιος ἦν. ποιέων τε ταῦτα ἔπαινον εἶχε οὐκ ὀλίγον πρὸς τῶν πολιητέων, οὕτω ὥστε πυνθανόμενοι οἱ ἐν τῇσι ἄλλῃσι κώμῃσι, ὡς Δηϊόκης εἴη ἀνὴρ μοῦνος κατὰ τὸ ὀρθὸν δικάζων, πρότερον περιπίπτοντες ἀδίκοισι*

---

[1]) Tac. Hist. IV. 86. [2]) Cic. N. D. I., 3. [3]) Cic. p. Balbo. 1. §. 2. [4]) Herod. I., 9, [5]) Eod. I., 32. [6]) Eod. I., 82.




γνώμησι, τότε, ἐπεί τε ἤκουσαν, ἄσμενοι ἐφοίτεον παρὰ τὸν Δηϊόκεα καὶ αὐτοὶ δικασόμενοι, τέλος δὲ οὐδενὶ ἄλλῳ ἐπετράποντο.[1]) Dejoces quum effecisset, ut (noli id negligere, nam primus imperii gradus est) vicini ipsum judiciorum causa adirent, dimidium facti habebat fuitque victor. Quis eorum per somnum cogitaverat, futurum esse ut is, quo justo et aequo judice usi essent, tyrannus evaderet! Dejoces conventus eo gravioris momenti fuit, quo magis rerum necessitudine erat et opportunitatibus invitatus, quoque minus inde quisquam suspicatus periculi et quo longius a fraude insidiisque ipse abesse videbatur.

Sed haec hactenus; nunc tempus est id facere, propter quod haec sunt praemissa; itaque omnes liberalium artium et juventutis instituendae fautores, ut solemnibus Gymnasii nostri anniversariis a. d. VI. Id. Aug. rite celebrandis adesse velint, etiam atque etiam rogo atque oro.

---

[1]) Herod 1, 96.